ORATIONES ACADEMICÆ QUAS HABUIT STANISLAUS GROTTANELLI...

Stanislao Grottanelli de' Santi



ADMODUM REVERENDO

D. JOANNI ROWE

DOMNONIENSI

LEWINS-MEADIENSIS ECCLESIÆ BRISTOLIÆ

PRAESIDI

AFFINI ANTE ALIOS SIBI CHARISSIMO

STANISLAUS GROTTANELLI DE SANTI

S. P.

Pro benefactis si tibi gratias unquam referre voluissem, vir proestantissime, impar humeris opus me sumpsisse nemo melius quam me sentire valet. Ex quo enim, quam mihi Deus amantissimam uxorem destinaverat, charis orbata Parentibus, tu illi non tantum Patruus, sed pater sollicitus, amicus hospes, dux egregius et strenuus consolator fuisti, ipsam, et omnia quae ex tali conjugio mihi venerunt bona, tibi uni, seu Divinae Providentiae ministro, maxima ex parte debere luce clarius habeo.

Tibi ergo, nostrarum quondam fiducia rerum, eadem semper animi gratitudine fateor, qua supremum Datorem munerum prosequi constanter non dubitabo, et quoad vixero gratias habere non desinam.

Ea interim qua polles animi virtute, vitae innocentia, et morum suavitate det Deus nepotibus tuis frui atque enitescere, et dum pro iisdem de rore coeli et de pinguedine terrae apprecaris, det utrisque charismatum dona, praemia virtutum. Has vero, quas modo audeo pagellas tuo nomine augere benigno excipe animo; me ama et vale.

Senis postridie Idus Decembris 1834.

AN DIVITIÆ AD SALUTEM

DISQUISITIONES

Cum Doctoris Laurea in Philosophia et Medicina

In Senatu Academiae ornandos decederet

EPAMINONDAM GEORGANDOPULOS *TENOSIUM*,
DIONYSIUM GURGURAKI *ZACYNTHIUM*, ET
DEMETRIUM PAICOS *THESSALONICENSEM*

DIE XXX. NOVEMBRIS MDCCCXXXI.

Persuasum habet vulgus, Rector Magnifice, Praestantissimi Patres, Auditores quotquot estis ornatissimi, divitias non tantum splendorem et vitae commoda nobilibus et potentibus afferre hominibus, sed et eorum bonam valetudinem firmiorem reddere; persuasum habent e contra medici nonnulli mensas magnatum et principum multiplici dapum genere instructas sanitati maxime obesse, et persuasum habent pariter felicius curari a medico popularem gentem quam optimates. An tres istae sententiae veritati omnino consentiant liceat mihi in dubium revocare, quaestionumque characteribus indutas intra limites academicae orationis in medium adducere, sapientissimoque judicio vestro subijcere.

I. Divitias tum mentis tum corporis sanitati saepe saepius noxias fuisse sapientiores homines omnium ferme nationum arbitrati sunt, et omnibus innotescit quam percelebris facta sit ideo illa ad Deum oratio » *Divitias et mendicitatem ne dederis mihi sed tantum victui meo tribue necessaria, ne forte satiatus illiciant ad negandum Dominum* (1). Hinc tamen facile intelle-

ctu non bonorum quidem copiam et fortunae dona natura sua vel animi vel corporis sanitati esse inimica, cum persaepe illa promiserit Deus hominibus pro factis bonis (2): sed tantum ea quae supersunt uniuscujusque vitae necessariis animi jucunditati, cordis honestis affectionibus, corporis bonae valetudini offendicula interdum gravissima moliri.

Hoc omnes, ut reor, libenter fatemur non ut antiquitatis opinionibus commentisque litemus, sed ut saeculorum potius experientiae assentiamur. Eadem tamen animi libertate fatendum multam quoque bonorum copiam et opes multas vel legitima haereditate a majoribus receptas, vel honestissime ab hominibus sibi comparatas, de avaris namque et furatoribus cujuslibet nominis hic non erit sermo, damna afferre non posse ut stomacho venena, mephytes pulmonibus, humoribus contagia. Cum vero aurum et argentum, quod superest vitae necessariis, ad magna explenda facinora validissimum semper incitamentum fuerit, nec raro evenerit ut potentium facinora in privatorum populorumve perniciem potiusquam ad reipublicae commoda expleta fuissent, ipsaque procerum quies turbata, salus labefactata, vita ante tempus amissa: hinc factum est ut animales socialesve passiones apud divites aestuantes vel effraene luxuriantes ab ipsa nimia divitiarum copia partas esse putarentur.

Quamvis autem jure merito magnas potentium opes et ipsorum saluti, et publicae felicitati persaepe exitiales fuisse arbitrati sint sapientes omnium aetatum, tales revera non semper enixae sunt effectus divitiae; et certo certius non ita frequenter ex quo barbaricae ignorantiae tenebras discussit primum Christiana Religio, et subsequentium inde saeculorum civilitas. Ex tunc enim potentes et optimates, semota corporis sensibus tantum indulgendi libidine, seseque magis magisque per vanitates vanitatum extollendi ambitione, ad verum de-

siderare coeperunt gloriae fontem, et veri honoris arcanam divitiarum ope conscenderunt. Hinc ad pauperum et infirmorum levamen Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia; ad publicam utilitatem Athenaea, Lycea, Academias vel funditus aedificare et propriis redditibus liberaliter ditare, vel aera collatitio substinere et amplificare vidit Christianus orbis. Hinc literarum, artiumque liberalium plurimi Maecenates non tantum intra regales aulas, sed etiam subter privatorum tecta. Hinc scientiarum literarumque adseclae inter optimates quamplurimi, qui sensu consummato cum sanitatem orbis terrarum a multitudine esse sapientium intellexerint (3), omnem substantiam suam collegiis tradiderunt in juvenum excolendis ingeniis erogandam.

Numerare modo ferme difficile, Auditores ornatissimi, quaenam et quanta, ea quae superest necessariis vitae pecunia, exorta sint nuperrime pia instituta, quae ab atavis nostris non dicam in votis habita, sed nec quidem excogitata fuere. Per ipsam coeci vident digito (4), muti loquuntur manu, audiunt oculis surdi (5). Per ipsam charitas intravit mansiones insanientium et carceres; ab illis verbera et famem, ab istis frigus et mephyticos profligavit alitus (6). Per ipsam millenae scholae pauperum utriusque sexus infantibus et adolescentibus reseratae (7), nec non operariis adultis, ut hi quoque Dominicis saltem diebus instruantur perficiantur (8). Per ipsam mercatores amplius non metuentes *luctantem aquilonibus ventibus africum*; ab igne aedificium quodlibet devorante praetium possessionis non amplius deruitur; morte perempto conjuge vitae necessariis non orbatur vidua (9), et ipsi frugalitatis pauperum fructus, peculiari instituto a *paramonia* nuncupato (10), pauperum resculae sarctae tectaeque contra fortunae eventus tuentur.

Haec igitur omni laude digna facinora apud ditiores nationes incepta, et per Europam et Americam ab il-

lustrioribus repetita, et alia multa, quae brevitatis causa praetermittam, satis superque demonstrant quomodo quae vitae necessariis superest pecunia magna ex parte ad publicam utilitatem conversa fuerit et convertat dies. Procerum salus est ideo ne firmior quam fuerat, vel eadem est quae antea ctis aetatibus erat?

Corporis humani, omnium immo viventium ea est oeconomiae lex ut quo plus vitae commodia sese assueverint eo minus valeant commmunibus morborum causis, quas connaturales dicimus (11), sese objicere vel ab eorum actione tam facile immunes evadere. Qui igitur ab intemperantia aliorumque vitiorum sobole aratent morbi, quamvis cum intemperantia, et effraenatus passionibus plus minusve apud divites recesserint, recptum tamen non videt vulgus ubi asserit firmiorem apud optimates, quam apud vulgarem gentem esse salutem. Quod si interdum illis florentior videtur salus adesse, ipsaque procerum juventus longior, non pecuniarum aut commodioris est vitae fructus: sed potius omnigenae temperantiae, et multarum persaepe privationum, quas gens proletaria prorsus ignorat, vel si earum existentiam cognosceret mallet forsan cum morte commutare quam amplecti. Si denique a divitum classe sejungere quis vellet omnes illos, qui reapse bene se gerunt ab illis qui, ipso juventutis flore, aliqua teneotur vel nervorum, vel stomachi, vel artuum infirmitate, quotnam qui vulgum invidum reddunt compatientem efficerent? Quot nam inter optimates poenas luentes, non dicam luxuriae et ebrietatis, quas forsan vulgus non ita graves, caeteris paribus, luit, sed innocentissimarum voluptatum mentis et cordis? Quae omnia, si cum Tissot (12) cum Hoffmann (13) cum Hufaland (14), aliisque (15) perpendere velimus, procul dubio illos blasphemare affirmabimus, qui longiorem vitam beatioremque vivere divites et principes viros persuasum habent. Quinimo rationi et experientiae magis consentaneum

credere quod, si temperantiam artifices et operarii laboribus conjungere vellent, non solum cum nativo robore biniori fruerentur corporis sanitate: sed longam juventutem, maturam senectam obtinerent ut vetus illa

rusticorum mascula militum
Proles, sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severae
Portare fustes.

II. Audio interim aliquem dubitantem an, inter civilitatis naperrimorum saeculorum bona, recensenda sit aliqua reformatio mensae apud nobiles et principes viros, et an ab eorum diaeta magis perturbetur ipsorum sanitas quam ab aliis vitae procerum commodis facta sit infirmior, morborumque communioribus causis magis obnoxia. Refarmationem in mensas quoque divitum evenisse civilitatis gratia affirmare non dubitabimus si quid essent Grajarum symposia, Romanorumque coenae ex Juvenale, Martiale, Plauto, Terentio aliisque scriptoribus didicimus; si novimus magnam illam catervam unius domini gulae inservientem ex saltuariis videlicet aucupibus, venatoribus, piscatoribus, coquis, cupediariis, praegustatoribus, pocillatoribus, pincernariis, aliisque peculiari nomine insignitis exurgentem, quae olim in procerum ferme omnium palatiis aderat, nostris hisce temporibus in nonnullis tantum magnorum Regum aulis reperiri; si campertum babemus epulas nativitatis nuptiarum et ipsae consanguineorum mortis causa a politioribus nationibus ferme omnino exulasse; si monstruosas denique memoranus conditura aequo pede pharmacopeas et culinas egressas esse; in partem politioris civilitatis haberi e numero dapum pincernarumque nec dimidium quidem gustare, et a prandio surgere quantocyus, utique reformatam magnatum diaetam affirmabimus. Non omnium tamen est adhuc

simplicior, ideoque nec tutior existimanda; sed, si satis parca, dicam cum Lucretio (16)

Nec multum referet quo victu corpus alatur
Dummodo quod capias concoctum didere possis
Artubus et stomachi humectum servare tenorem.

Qualiscumque enim sit ciborum delectus dapumque compositio, dum stomachi virtute in vitalem liquorem abeunt, nulla adest ratio, praeter mentis praejudicium, ut diaetae aliquod genus caeteris quis anteponat, aut damnet aliud quod stomachus concoquit et facillime per illa decurrit.

Fateor equidem alimenta et labores artificum et agricolarum ad illam aequabilitatem quam Hippocrates commendat identidem proprius accedere quam apud divites fit, habito respectu ad horum corporis exercitationes (17). At si de operariis in civitatibus degentibus, vel de proletaria gente sermo fiat, quis ignorat eos tantum gulae indulgere et vino quantum pecuniae iisdem suppeditat quotidianus quaestus? Nonne quo annona abundantior eo frequentiores commessationes et ebrietates, et apud eosdem absque crapula nullum diem festum celebrandum nil antiquius? Quin exemplis vitae brevis fortissimorum hominum hujus generis meam sententiam firmem, praeclaros hujus civitatis clinicos rei testes facio atque judices, dum mihi concludere fas est neque optimatum, neque vulgi mensas ad bonam valetudinem tuendam potiores extimandas; sed eas tantum habendas esse meliores, quae stomachi vires non infringunt; regularitatem cibus et potus minus robustis hominibus necessariam; irregularitatem periculo plenam, etiam apud juvenes et robustiores cujuslibet civium ordinis et vivendi consuetudinis.

III. Superest, Auditores ornatissimi, ut modo ad trutinam revocemus illam nonnullorum medicorum sen-

tentiam, qua optimates et principes viros morbi tempore pejori affirmant esse conditione, quam homines infimae plebis. 1. Quod ipsa splendidi viri auctoritas medentis mentem ita saepe perturbet, ut indicationis tempus amittat medicus, vel ipsa quae videt indicata remedia afferre non audeat. 2. Quod nobiles viri, sed praesertim mulieres, sicubi aegrotarint, morosae sint et artis praeceptis refractariae. 3. Quod animus optimatis aegrotantis molestioribus curis transversum agatur, quam mens pauperis in ancipiti casu. 4. Quod plures medici ad aegrum unicum curandum convenientes, ut apud proceres fit, difficiliorem curationem reddant.

1. Promptius auxilia parari iis qui medentis libera voluntate se omnino concredunt, ut in Nosocomiis usuvenit, haud dubia res est. Nemo autem non ignorat quam rarum sit ipso morborum initio curationes apud pauperes a medicis aggredi posse, ideoque speciem esse non veram promptitudinem, qua identidem, vel in nosocomiis, vel in humillimis casis, vel in rusticorum mapaliis, pauperum morbis opitulatur: dum e contra apud divites morborum initio medicinae auxilia statim expetere mos est. An vero medici magna mentis perturbatione tam saepe afficiantur a praesentia splendidi aegrotantis hominis, liceat mihi negare vel propter medentis consuetudinem illum ipsum hominem invisendi dum bene valeret, vel propter familiaritatem cum aliis nonnullis ejusdem civilis ordinis et conditionis, vel denique propter ipsam morbi praesentiam quae, severiores etiam molliens animos, initium ponit illius aequalitatis inter filios Adae, quam medicus philosophus ignorare non potest. Miseros artifices alia ex parte, agricolas et proletariam gentem quid timendum, quid sperandum et saepius quid agendum ignorantes, nosocomia adire aut caros linquere perhorrentes, medicos accire dubitantes, haud raro iis concreditos medicis, qui perexigua celebritate fruuntur, longe pejori condi-

tione, dum aegrotant, quam divites esse reor, ut absque mora iisdem consulatur, et magis indicatis remediis succurratur.

2. Proceros viros si forte aegrotaverint morosos, praesertimque foeminas hujus ordinis artis praeceptis refractarias esse non inficior, et persaepe id maxime evenire dum morbi nullo impetu apparent, vel levissimis symptomatibus exoriuntur, omnibus artis Hippocraticae ministris satis superque compertum. Sed quaeso, Patres praestantissimi, nunquid ex artificum, operariorum et agricolarum ordine occurrunt unquam medicis rudiores morosi, et magis irrationales mulieres? Desunt forsan obstinationis protervitatis et intollerantiae exempla intra Nosocomiorum moenia? Experientia duce et ipsi medicinae tyrones non deesse respondent: quoimo invenisse aliquando memorantur inter popularem gentem utriusque sexus personas, quae mortem oppetere potius voluerunt quam chirurgica experiri auxilia. Si denique in morbis characteres homioum fusius apparent, quid vobis sentiendum videtur, morbi tempore, de docilitate illarum semivulgarium mulierum, quae dum bene valent cibos, potus, vestes, domos, et alia multa fastidiunt ita frequenter, ut marito, consagnioeis, domesticis sint vera excruciatio? Quid de viris ad eumdem cerebrosum ordinem pertinentibus? Non a divitiarum ergo copia, Auditores ornatissimi, non a vitae commodis, neque a generis splendore offendicula haec contra therapiae auxilia exurgunt, sed a rectae morum institutionis defectu, et interdum a nimia quoque nonnullorum medicorum comitate, qua absurditatibus plaudunt eorum quorum gratiam et favores ambiunt.

3. Quam interim amara esse debeat mortis idea homini pacem habenti in substantiis suis (18) a remotissimis saeculis ad hanc usque aetatem conclamatum fuit, ideoque omnibus ferme persuasum quod in aegritudine divitum meus molestioribus curis transversum aga-

tur, quam pauperum animus, eodem periculo instante. Illa autem *pax*, de qua loquitur filius Sirach, non est illa divitis tranquillitas nil amplius quaerentis praeterquam quod ab ordine Providentiae sibi concessum autumat, et qui utitur mundo tamquam non utatur; sed illa potius sperata felicitas eorum qui nil aliud in deliciis habent praeter quam auri et argenti copiam, et de quibus hic verba facere nolle jam dixi. Quod me igitur, ni fallor, in hoc tantum divites graviter aegrotantes a pauperibus differre censeo, ut primi socialibus potius pathematibus generatim agantur, secundi animalibus passionibus, vel cordis affectionibus magis vexentur, ut patresfamiliae pertimescentes filios et uxorem mendicitatis statu proximos linquere. Unusquisque tamen haec patitur juxta cordis sensibilitatem, mentis praevidentiam, et religiosas ideas. In quolibet enim civium ordine reperiuntur matres, quum morbo detentae, de nil tam anxiae quam de futura natorum sorte, nullo habito respectu ad eorumdem paupertatem vel divitias; patresfamiliae de uxore et filiorum statu solliciti sive opibus affluant sive adsit egestas; adolescente de trepidatione parentum magisquam de propria aegritudine moerentes; uxores a viri compassione ita commotae, ut affirment satis se bene habere, dum morbus in pejus ruit. Alii e contra vel parentes, vel filii, vel mariti, vel uxores nil praeter se cogitant, et utraque cordis temperies neque a divitiis neque a paupertate ortum habet, sed potius ab educatione primae aetatis et a domesticis exemplis exsurgit. In quolibet civium ordine homines reperiuntur vera in Deum fide stabiles qui dum aegrotant mcote ferme minime moventur, sive divites, sive pauperes sint; et hac fidei armatura gravissimos interdum vidi morbos feliciter absolutos in nonnullis, qua deficiente mortales proculdubio fuissent.

Divites autem et optimates facilius in morbos inci-

dere, et supremum interdum obire posse, ut aliquando obiere diem, propter politicas theorias, regalia dissidia, splendida odia, frustratos honores non negabo. Hi vero non sunt divites aegrotantes cum pauperibus morbo detentis comparandi. Empathematici sunt homines, vel insanientes, si illos ita libeat appellare, qui, dicam cum Augustino, ideo sunt in mundo *ut boni per illos exerceantur* (19). Sed proh dolor! quisnam civium ordo suis pathematibus caret? Ira, invidia, ambitio quibus vitae conditionibus parcunt? In aulas regum et procerum palatia dirae sorores intrant revera facilius: at ingrediuntur quoque artificum officinas, agricolarum mapalia; vestalium claustra, monachorumque septa ingrediuntur. Aegritudinis ergo tempore animi pathematibus omnes pariter sunt obnoxii, praeter homines durae cervicis et incircumcisis cordibus, vel illos quibus pietatis lorica circa pectus est, et verae sapientiae galeam sunt induti.

4. Divites aegrotantes pejori tandem affirmantur conditione quam pauperes eo quod, medicorum circumveniente caterva, tot inter diversas sententias, vel varias indicationes naturae vires sint oppressae, aut quod recte ab uno forsan factum fuerat ab alio supervenientе destruatur, aut ipsa denique occasio aegroto opitulandi, inter disputationes praeceps evadat. Hoc interdum verum firmissime assero, si de acutis praesertim morbis sermo sit. In chronicis autem dubito quin aegrotantis aut consanguineorum animus de aliis accersendis medicis sit magis sollicitus, quam ille qui curationem est aggressus. Medicorum tamen consultus in utroque casu prudentissima res affirmatur ab eodem medicorum more, alios videlicet consulendi medicos, cum ipsi vel eorum consanguinei morbo aliquo tenentur; et, si nuperrime vocatus medicus sit probus, honestus et curantis amicus, nil magis rationi consentaneus quam aliorum consilia experiri ubi agitur de summo

vitae periculo. Cum vero malum plus arte valere compertum fuerit compatiendum divitibus censeo, si longiorem vitam obtinendi spe, alterum vel tertium medicum ad consulendum vocant, qui, ut plurimum, nil boni revera, nil mali facit.

Quibus omnibus rite perpensis concludere non dubito 1. In omni civium ordine hominumve conditione nil ad bonam valetudinem servandam reapse divitias conferre, nisi temperantia vitae consuetudinibus moderetur; nil melius exantlatos pauperum labores, nisi intemperantiam ipsi quoque arceant. 2. Felicius in adversa valetudine eos curari a medicis, qui illis se omnino concredunt, sive divites sive pauperes, dummodo in horum morbis adsint necessaria ad iisdem consulendum, ut in nosocomiis uaveoit, quam eos qui qualibet ex causa morosi sunt et curationis methodo refractarii. 3. Sanitatem tandem corporis saluti mentis tam arcto nexu esse alligatam, ut ista deficiente, tum bonae valetudinis tempore tum aegritudinibus prementibus, nec divites pauperibus, nec pauperes divitibus feliciores unquam esse possint, sed utrique sua damna, utrique sua commoda natura dissimili, mensura ferme aequali experiantur.

Vos interim optimi juvenes qui emenso studiorum vestrorum curriculo, deque studiis vestris iterum iterumque periculum fecistis ad accipiendos doctoris honores consurgite, Asclepiadum gloriam, qua Graecia vestra toto orbi illuxit, aemulamini, et patrios remeando Lares Hippocratis vestri castissima, quae suo in jurejurando emisit vota religiosissime adimplere satagite, neque meliori namque, neque tutiori modo patriam amare vobis datum, quam novam ejus vitam optimis virtutum exemplis enutrire firmioremque facere. Valete; nostrum, hujusque Academiae memores valete.

(1) Proverb. XXX.

(2) Beatus vir qui timet Dominum . . . potens in terra erit semen ejus . . . gloria et divitiae in domo ejus etc. Ps. CXI,

(3) Cogitare de illa (*de Sapientia*) sensus est consummatus. Diligite lumen sapientiae omnes qui praeestis populis . . . Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum. *Sapient. caput.* VI

(4) Instituta pro caecis.

(5) Instituta pro mutis et surdis.

(6) Reformationes domorum insanientium et carcerum ab Howard aliisque post societatibus susceptae per Angliam, Galliam, Italiam. etc.

(7) Sese invicem edocentes vulgo *di mutuo insegnamento* Mirabile dictu quomodo in sola Dania 2. 126, 000. homines non excedente, quae anno 1823. habebat hujusmodi scholas 239. tantum, habeat modo. 2815 *Annali di Statistica. Tom.* XXIX. Hinc alia Instituta, vulgo *Scuola Domenicali, per i poveri;* alia pro infantibus a XVIII. mense ad quintum aetatis annum.

(8) Instituta mechanicae, calligraphiae, et arithmeticae.

(9) Instituta vulgo d'assicurazione 1. delle merci spedita per mare 2. degli edifizj dagl'incendi 3. della vita degl'impiegati, degli artefici etc

(10) Vulgo *Cassa di risparmio*.

(11) Aer videlicet, cibus, potus, motus, quies, somnus, vigiliae, excreta, retenta, animique pathemata, falso olim *res non naturales* nuncupatae, a quibus et bonam, et interdum quoque adversam valetudinem exsurgere omnibus compertum est.

(12) Malattie delle persone del gran mondo e Sulla salute dei letterati etc

(13) *Frideric.* De studiis per regulas diaeteticas facilitandis et prolonganda literatorum vita.

(14) Arte di prolungare la vita.

(15) *Alberti* de morbis aulicis *Junker* De ignobili morbo ingrato multorum nobilium hospite. etc.

(16) De natura rerum lib IV.

(17) Oportet ne alimentorum quantitas labores superet. *de salubri diaeta*.

(18) Eccles. XLI.

(19) Super Psalm. LIV.

DE MEDICINÆ DIGNITATE
ORATIO

AD

APOLLONIUM AGNANA COUROURUPEBE

E BAHJA SS. SALVATORIS IN BRASILIA

IN SENENSI ACADEMIA LAUREA DONANDUM

HABITA DIE 16. SEPTEMBRIS 1846.

ADOLESCENS PRÆSTANTISSIME

Tu, qui emenso literarum curriculo in patrio Lyceo SS. Salvatoris, scientiarum addiscendarum causa, Coimbriae celeberrimam Lusitanorum Academiam primum, deinde Bononiensem adire voluisti, et Senensem tandem petere Athenaeum, ibique doctoris honoribus augeri, de medicis studiis, medicisque peregrinationibus bene sentire visus es. Sine interim eum, ad quem, horum excellentissimorum Patrum jussu, doctoris insigna tibi cooferre pertinet nonnulla de medicinae dignitate tibi dicere, quae quamvis nec tuis auribus nova, nec omnino necessaria forsan videantur, utilia tamen futura non dubito, grata vero certo certus teoeo.

Tu e longinquis regionibus patrios remeando lares terram novam quidem invenies, non civium sanguine

inquinatam, non perjuriis corruptam, non bellis civilibus, ut aliis nonnullis contigit novi orbis regionibus, quassatam; sed consilio Brasiliae sapientissimi Imperatoris, prudentissimorumque magistratuum doctrina utrique orbi spectaculum factam moderationis et pacis. Cum vero civilitas nationum iter peragere soleat cum saeculis potiusquam cum annis, ut apud singulos fit, invenies ideo nonnullos, numero forsan minori quam alibi, invenies tamen, qui non solum scommata in artem medicam proferunt multa, scientiam incertam, artemque ridiculam affirmant; sed medicos insuper accusant quasi homines impudenti philosophandi licentia plasmatos, boni moris jura excutere conantes, pietatis fundamenta convellere nitentes, et aliorum hujusmodi criminum foedatos, quae quidem cordatus homo absque animi desponsione nec audire nec memorare potest.

Tu interim qui artem profiteris, quae absque proximorum charitate unga esset et fraus, tu qui Christi evangelium es confessus atque testatus, qui Ioannis de hominum dilectione excolenda, et Pauli de legumlatorum veneratione observanda praecepta probe noscis atque peramas, quum vera loquendi libertate donatum te ipsum invenies, ne sileas, et quanta a medicis disciplinis homines et respublica, leges, et mores incrementa receperint ostende.

Ii, a quibus injustae manarunt accusationes, nulla ut plurimum indigent persuasione se falso medicas vituperare disciplinas, cum talia dicant non ex defectu scientiae vel errore judicii, sed consulto, et odio forsan illius lucis, quae a studio naturalium artium per omnes Academias est hinc diffusa. Hos igitur linques suo uti judicio, nam dies illos imminuet, nec ultra revertentur. Sed ad homines tus sint verba qui mentis tantum praejudicio tenentur, eo quod ut se res habeant cognoscere reapse indigent. His igitur persuadere con-

tendes multa revera bona, singuli homines, societas, leges et mores medicis disciplinis debere.

Quae *singuli homines* a medicina exceperint beneficia dum demonstrare conaberis, ex morborum historiis exordiendum tibi fas esse respondent artis Hippocraticae vituperatores.

Tu vero, priusquam in arenam descendas, Antonii De Haen (1), Hermanni Boerhaavi (2), Georgi Baglivi (3), praeclarissimas dissertationes consules, quae medicis, quae universae literatorum reipublicae satis superque accusationes illas solidis fundamentis carere, et omni animi candore quae sint artis medicae vera impedimenta demonstrant; dum mihi, temporis angustia negatum de hac quaestione ullum addere verbum.

Quae bona vero receperit *societas* a medicis disciplinis non tantum ex eo quod singuli obtinuerunt homines, et obtinent adversae valetudinis tempore, tibi ostendendum, sed quae vera sistunt civilitatis incrementa civium memoriae revocare satages. Exordium sumes a Nosocomiorum generalium vel peculiarium erectione, Clinicae tum internae tum externae, sive chirurgicae artis scholas recordaberis medicorum, persuasione institutas, dementium, puerperarum, et lactantium hospitia medicinae consilio reserata; nunquam satis laudanda Locmocomia per Europam et Americam medicorum consultu aedificata, et contra mercatorum aviditatam ab eodem tecta atque servata; ad variolarum strages propulsandas, vaccinationis instituta vel publico vel privatorum aere, sed medicorum nisu feliciter per Europam pariter et Americam concrescentia ostendes; et alia multa tibi memorare fas erit, quae ad societatis utilitatem et incrementum conspirant, sive a Macrobiotica deprompta, sive ab Hygiene expetita, sive a Politia medica in hominum commodum parta.

Quae *leges* a medicis disciplinis obtinuerint consilia, quibusnam et quantis auctae sint luminibus, ut

satis innotescat medicorum detractoribus, pande volumina Medicae Jurisprudentiae et a venerabili nostro Paulo Zacchia ad haec usque tempora affirmare ne dubites totum orbem Italis medicis hujus praeclarissimae scientiae exordia et progressus debere (4).

Hujus vero scientiae gratia quidquid barbaricum sapiebant leges totius orbis exuisse, hujus nuquam scentiae praesertim, et quiquid solidum firmum et justum in criminalibus legibus, nostris hisce temporibus miramur, medica jurisprudentia interveniente, legum conditores statuisse luce clarius ostendes. Annonae indè et commeatus magistratus, tum pacis tum belli tempore, apud classes vel militaria castra, quid boni faciant absque medicorum scientiarum luminibus roga, et, in magnanime victoria ntaris tua, quum facie concinderint inimici, ad investigandum propera quid moribus medicina contulerit.

Quod *mores* incrementum coeperint facile certe exponere tibi licebit ex quo simulationes et dissimulationes morborum patefacere est unius artis medicae, et sycophantarum simul imperia destruere; ex quo tenebricosas artes ad judicum tribunal compulit medicina, atque detexit, sive venena ministrent; sive vulneribus confodiant, sive manus afferent; ex quo castitatem virginum, matronarum in dubium revocatam fidem, infantium denegata jura vindicare scientiae solummodo et artis est medicae. Hinc pete quisnam temperantiae praemia, quis continentiae munera in ipso vitae curriculo assequenda, vel poenas intemperantiae et incontinentiae ab ipsis naturae legibus inflictas, quis etiam Pyrronistis persuasit? et pete an haec omnia moribus maxime contulerint.

Haec dum fusius ostendes, iovenies forsan, optime adolescens, utinam non invenias! aliquem qui, cum coactus fuerit de medicina talia nobiscum sentire, medicus tamen religioni inservire denegabit. Fatendum

tunc dices inter eos quoque, qui medicinam profitentur, esse nonnullos servientes idolis, inimicitiis, contentionibus, sectis, invidiae, ebrietati, commessationibus, impudicitiis et his similibus; sed haec esse manifesta opera carnis, non scientiarum naturalium fructus; nam tales homines in omni civium coetu, omniumque inter disciplinarum cultores non minus quam inter medicos reperiuntur. Quinimo demonstrare satagas quod si scientiae naturales tam longum tempus requirunt, ut ad istas recte acquirendas nec tota vita sufficiat, sicuti de ipsa praxi testatus est Hippocrates, ratio urget ut credamus inter medicos plus boni moris, plus esse verae pietatis, quam, caeteris paribus, apud nonnullos alios civium ordines inveniantur. Superstitionibus quidem medicos inservire, nisi ignorantia vel hypocrisi impellente certe perrarum affirmabis; sed verae religioni litare, qui vere artis, a Deo hominibus datae, sunt ministri (5), facillime persuadebis. Si *majorem enim charitatem nemo habet quam qui animam suam ponit pro amicis suis*, quinam Divini Magistri praecepta sicuti ii, qui medicas disciplinas amplectuntur, observant? Quotidie animam ponunt medici pro fratribus suis in Nosocomiis, in carceribus, in castris, in Loemocomiis, in palustribus, inter inimicorum arma, inter pestilentiae pericula, inter tempestatum saevitias. Non parcunt laboribus, studiis, vigiliis; rusticitates, contumelias, et omnigenae ingratitudinis effectus non perhorrescunt; ipsis etiam inimicis opitulantur. An religioni inserviunt medici! vel verae pietatis sunt potius veneranda exempla!

Tu vero, optime adolescens, ter quaterque beatus si talia facies ut dictis facta respondeant. Sed priusquam ingrediaris hanc viam virtutis, moderationis atque pietatis ad accipienda doctrinae et laborum praemia consurge.

Pileum pro corona, annulum sapientiae, libros no-

cturna diurnaque manu versandos accipe. Amicitiam quam hoc amplexu, hi praestantissimi Patres, et nos initam testamur serva atque cole; quae vero ominamur bona, Deo Optimo Maximo opitulante, quin tibi eveniant ne dubites.

(1) Dissertatio sistens examen tritissimi proverbii « medicina turpis disciplina.

(2) De Medicina repurgata.

(3) Artis medicae impedimenta.

(4) Paulus Zachias Romanus, hujus artis scientificae fundator et Parens

Tortosa *Istituzioni di Medicina Forense*.

Barzellotti *Medicina Legale secondo lo Spirito delle Leggi Veglianti in Italia – Polizia Medica*.

Martini. *Medicina Legale*.

Chiapparri. *Manuale ec.*

Omodei *Polizia delle vettovaglie*.

Bocchetti. *Prosperità fisica delle Nazioni*.

Frank Sistema completo di Polizia Medica.

- - - Dissertatio de Magistratu Medico.

(5) Scientiam dedit Deus hominibus honorari in mirabilibus suis. (Eccles.)

AN UNIVERSALIS MEDENDI METHODUS
ET UNIVERSALE PHARMACUM

CUM NOBILIS ADOLESCENS

ROCHUS METAXÀ E CEPHALONIA

AD DOCTORIS GRADUS ASCENDERET

In Senarum Academia die 18 Martii 1826

Quid mirum, Patres Praestantissimi, quod haec nostra Academia, a saeculo duodecimo Senensium cura, studio, censu, atque labore erecta, ad ultimos usque annos servata, et munificentia Ferdinandi III. restituta et amplificata, videat denuo advenas ad eam e longe conversos, quae jamdiu non Etruscos modo, sed etiam Insubres excipere, Ligures alumnos habere atque Germanos per tot saecula consueverat (1)? Causae, laude prorsus dignae, et scientiarum literarumque incrementum comprobantes, novae videlicet et numerosiores Academiae citra et ultra montes exortae, hac gloria Academiam hanc expoliavere; Eadem tamen comitate, qua Senenses antiquioria aevi advenas excolere sibique animo devincere non dubitabant, ea ipsa eademque doctrina, qua hujus Academiae decus efferre satagebant, et vos prosequi et vos adlaborare omnibus compertum est. Hinc contigit ut inter caeteros advenas qui Senensem Universi-

tatem petunt, praestantissimum juvenem e fortissimae invictissimaeque Graecorum stirpis familia, nobilem virum, qui jamdiu gentis suae Jatrophilorum praecepta nocturna versare manu atque diurna non dubitavit, sit mearum partium in philosophia et medicina doctoralibus insignis augere.

Brevis interim de more cum praemittenda sit oratio, medicum argumentum, praesentibus hisce diebus *Le-Royna* panacea resonantibus, opportune tractandum mihi visum est illud, *An universalis medendi methodus omnibus morbis accomodata, ideoque an universale pharmacum existere revera possit.*

Ab antiquissimis artis medicae primordiis qua methodo quibusque remediis aegritudinum curatio aggredienda foret incessanter excogitaverunt omnes, qui medicinam faciebant. Quoniam vero non solum diversorum morborum differentes toto coelo phases, sed et ipsarum febrium, localium inflammationum, contagiosorum morborum, nevrosium, cachexiarum, et organicorum vitiorum cursus diversimode sese producere compertum erat, difficili phaenomenorum indagine, caussarumque investigatione a *posteriori* argumentandi et methodo recesserunt quam plurimi, sive investigationum labore fatiscerent, sive imaginationis illecebris cesserint. Hinc, a veterum hypothesibus de calore innato et humido radicali; de stricto et laxo; de acrimoniis et alcalescentiis, usque ad neotericorum dynamicas doctrinas, a *priori* de morborum origine et natura disserere, remediorumque vires deducere et effectus definire audivimus.

Ast qui elementorum organicorum variam, diversamque qualitatem, quantitatem, distributionemque prae oculis habeat; qui organorum, viscerum, instrumentorumque texturam dissimilem, et uniuscujusque, vel organi vel visceris vel instrumenti, cum caeteris humani corporis partibus nexus sympathiasque cognoscat, illum de hoc ratiocinandi modo valde dubitare necesse est. Qui com-

pertum habet sanis quoque corporibus variam inesse facultatem respondendi potentiis stimulisve externis; sentiendi facultatem in eodem corpore, eademque die, sive externa sive interna de causa, physica vel morali, eamdem semper non esse; qui denique actionis reactionisque vim organicam innumerabiles modificationes oppetere penitus non ignorat, unam eamdemque esse morborum originem et causam prorsus negabit.

Quinimo si luculentissimum illud Boerhaavi aphorismum, *salus non datur nisi singularis*, ipsa veritate verius ut fuit semper, adhuc quoque esse non dubitamus (2), qua ratione, qua de causa existimandum singulari sanitatis ideae, ejusque tuendae singulari methodo respondere posse unam et universalem aegrotandi modum, unam et universalem medendi methodum?

Universalis, tamen, vel ferme universalis morborum originis idea non est tantum pseudomedicorum, et eorum qui illam amplectuntur socordiae, vel novitatis tantum amore; sed homines quosdam alioquin ingeniosissimos hisce hypothesibus maxime praeoccupatos vidimus, sive eos qui Brownonis asteniam semper invenicbant memoriae revocemus, sive illos qui hypersteniam Reformatorum Brownianae theoriae, aut phlogosim aliquam in omni morbo reperiunt. Hinc juvenes a solidioribus observationibus et experimentis in quibus plurimum profecissent ad vanas et fuco plenas doctrinas, quae votis respondere minime possunt, passim trahi, ac pene inde furentes observamus; sic artis difficillimae, cujusdam somniatae facilitatis specie illecti tyrones, ab optato scupo recedunt, et in phantasmate captando praetiosissimum tempus amittunt.

En interim ratione, qua universalis medendi methodus doctrina laqueum paravit medicinae studiosis, sic universalis pharmaci idea, a lapidis philosophici investigatione ad nostram usque aetatem, identidem inter homines excitata, identidem quoque ita percrevit, ut furore

ferme capti viderentur. Et quidnam nisi furor illa est opimo longe lateque per Europam diffusa, qua multi pharmacum vulgo *Le Roy* ad quolibet propulsandum morbum deprecantur?

Qualis interim sit hujus pharmaci theoria, theoria namque medica non caret, nolo vos ignorare, Auditores praestantissimi. Humorum in quolibet morbo peculiarem sordem adesse asseritur; solidorum vero consideratio anathema est, et venam secare praxis omnium pessima, non enim infectos humores sanguinis missione defaecantur sed praetiosissimis humanum corpus expoliatur. Inquinatas ergo morborum particulas necesse erat educere, et cum membrana mucosa intestinalis ea sit corporis pars, quo: ese conferre peccantes humores non dubitabunt, ibidem, tanquam ad inquisitionis medicae tribunal, eos primum appellare, et inde ut reprobos eijcere oportet, vel vomitu videlicet, vel catharsi, vel utraque via, et plus minusve repetitis vicibus, prout major et inveterata sordes. Haec omnia mirifice peaestat peculiaris compositio novi Paracelsi nomine insignita. Pharmaco invento, sanationes multae atque mirabiles factae sunt; Illud conficiendi et utendi methodus publicata una cum ejusdem theoria; librum vero in omnium nationum lingua translatum et pluries editum apprime nostis. Hoc unum tantum deest, bene cordati Auditores, ut civitatum provinciarumque singularum statistica comparativa conficiatur modo, quae fuse ostendat decessorum numerum quolibet anno, hujus pharmaci gratia quam maxime imminutum.

Tu autem, praestantissime adolescens, non de talibus solum inventis, sed et de qualibet medendi universali methodo quid sentiendum, cum antea tum hodie compertum habeas, Coraysium tuum aemulaturus, Hippocratem colere ne desinas, et si in hypothetica systemata declinare aliquando tentaberis, sublime illud Senis Coi effatum prae oculis habeto « *Medicina jam ab antiquo existit, et principium et via inventa, per quam in-*

venta et multa et probe habentia comperta sunt, per multum adeo tempus, et reliqua deinceps invenientur, si quis sufficiens sit, et jam inventorum gnarus, ex his ad perquirendum procedat. Quicumque vero, his rejectis, ac omnibus reprobatis, alia via, aliaque forma inquirere conatur, et aliquid invenisse glorietur, hic falsus est, et fallitur (3).

Cum vero omnium medicarum disciplinarum emensus jam sis laudabiliter curriculum, deque profectu tuo periculum ante nos sis factus, ut laboris praemia, Doctorisque honores recipias consurge.

Insigna haec sint tibi sapientiae emblemata: pacem quam tibi, hoc amplexu damus, perpetuo dilige, et nil philosopho tam aptum tamque conveniens, nil in medicina praestabilius, aut munificentius, quam aliis adjutorem se praebere, et omnimode prodesse memento.

(1) Collegium Germanicum fuit per multos annos in Coenobio S. Dominici Senarum apud FF. Ord. Praedicatorum; et Ligures contubernium habebant in aede vulgo *della Misericordia* (De Angelis *Storia dell' Università di Siena*). Prima Germaniae Universitas, Heidelbergensis videlicet, erecta fuit Anno 1346.
(2) Institutiones Medicae. Hygenes,
(3) De Veteri medicina,

NONNULLA DE RACHIALGITIDE

SEU DE COLUMNAE VERTEBRALIS ET MEDULLAE SPINALIS INFLAMMATIONE

CUM DOCTORIS LAUREAM AUCTOR CONFERRET

MARIANO GINANNESCHI DE *CASTRO PLANO*
COELESTINO MAGI EX OPPIDO *S. LUCIS* PROPE *FOJANUM*
CAROLO MARSILI E *PIDERIRIA* IN *CORSICA*, ET
IOSEPHO PASQUINI E *TERRANOVA VALLIS ARNI*

SUBEUNTE FINE ANNI ACADEMICI 1824.

Ex quo majores nostri praeclaris institutis varia praemiorum genera constituerunt iis qui optimis disciplinis incumbunt ut tenerior praesertim aetas gloriae cupidine ducta in bonarum artium ingenuorumque studiorum sibi comparandas fruges tempus curasque omnes sedulo collocaret, probatissimum fuit dignitatibus, privilegiis atque laudibus eos maxime ornare, qui Philosophiae atque Medicinae operam navarunt. Nec immerito. Philosophiam enim contra malorum catervas ex pravorum cordibus identidem irruentium a Sapientissimo Numine accepimus, ab et eodem Providentissimo Creatore Medicinam, quae Philosophiae soror et comes est hominibus traditam non dubitamus (1). Ex tunc igitur temporis mos invaluit, Excellentissimi Patres, Auditores quotquot estis ornatissimi, vel panegyrica oratio-

ne eos prosequi, qui Doctoria gradum rite assequuntur, vel argumentum aliquod ex eadem philosophia aut medicina depromptum pertractandum sumere. Utrumque bonum, et ad finem maxime accomodatum. Cum mihi tamen secundum modo praestantius visum, ex ipsorum canditatorum voto de variis phlogosibus in columna vertebrali insidentibus nonnullas quaestiones in medium proferre statueram. At cum intra septa Academicae oratiunculae tanti momenti argumentum concludere vix detur, quae reapse praecipua, et ad artis medicae incrementum simul demonstrandum aptiora mihi visa sunt, ad summa capita revocare quantum potero adnitar.

Rimantibus quantum in chymica, in physica, in astronomia, in zoologia aliisque totius naturae regni studiis foenerata sint hominum ingenia, exurgit, ut ajunt plurimi, naturalis quaestio quid demum in causa sit tum cur una tantum praxis medica a pristina veterum aetatum ratione ultra non processerit, tum cur aegrotantibus optata salus facilius medicorum ope non redeat? Hinc vulgo tritissima illa usurpatur quaerimonia Eja quid profuere praeclara Bellini, Boerhaavii, Baglivi excogitata? quid acutissimae Brownonis, Darwini, Rubini, Voulomni, aliorumque recentiorum disquisitiones? An vel morborum, vel vita excedentium numerus imminutus? Homines vero ad ea semper perquirenda intenti, quae in suis commodum veniunt, quae etiam nuperrime obtinuere citissime obliviscuntur. Etenim quot, quaeso Excellentissimi Patres, quotnam sunt modo morbi quos jampridem immedicabiles, vel etiam necessario lethales rebamur, et nunc seu medicinae auxiliis diu non resistunt, seu omnino profligati depellantur? Perniciosae ut ajunt febres nonne ista perniciosa natura ab ipsis medicinae tyronibus exspoliantur, post clariissimi Torti, Mortoni, Morandi vere operosas sollicitudines, earumque fraudolenta interdum indoles post Aliberti aliorumque labores nonne

melius explanata tutiusque detecta? Clades a variola, e syphilide quis ignorat quantas ante decimumoctavum saeculum illacrymabat humanitas. Febrium illarum, et ut suis utar nominibus, febris petechialis saeculo decimo sexto; typhi icterodis labente saeculo decimo octavo epidemice grassantium strages quis conferre poterit cum damnis, quamvis gravissimis novissimorum temporum? Quid dicerent denique artis salutaris obtrectatores si, fines Clinicae internae praetergressus, Chirurgiae inventa summae utilitatis vellem aut modo possem recensere? Sed ad nostra ut redeam inter omnes, qui laudibus digni se sistunt labores medicorum, artisque profectus diagnosis atque curatio rachialgitidis et mielitidis, utramque Rachiphlogosis nomine indicabo, inter luculentissima recentioris clinicae prope dixerim miracula collocandas esse censemus. Hippocrates revera, maximus ille medicinae parens ac magister, aureo suo aphorismorum libro nonnullas sphacelismi cerebri ideas praebuerat, et primo morborum popularium libro historiam sane dederat aegrotantis cujusdam in quo, ni fallor, rachiphlogosis symptomata neotericis tantum est reperire. Ab Hippocrate vero ad Franciscum Valleriolam, decimi sexti saeculi auctorem, hujus profecto morbi descriptio quaevis aut monographia omnino desideratur.

Elucubrationes tandem Tulpii, Forestii, Bauhini, Hoechstetteri, Murray, ad genesim spinae bifidae illustrandam peractae, prima anatomiae pathologicae vertebralis columnae fundamenta jecere; nondum vero superstructa doctrinae moles donec Morgagnius Italiae nostrae ornamentum et decus, scrutationem vertebrarum universae Europae imperitaverit, et ex tunc sive hydrocephali, sive spinae bifidae, sive paralysis causa, morbosa medullae spinalis vertebrarumque conditio frequentius observata. A Valleriola nihilominus ad Johannem Petrum Franckium rachiphologosis ignoro an ullae extiterint historiae, nisi excipiendi labores Bone-

ti, Salii, Carreri, et Burserii ad sphacelismi tantum formam caussasque detegendas exantlatas, at quod, hoc in casu, pars medullae quae cerebrum subest inflammatione teneatur.

Ut autem a fine decimi octavi saeculi ad nostra usque tempora non ita pridem adlaboratum est, ut rachiphlogosis symptomata et pathognomonica signa certo certius figerentur. Nullis ex tunc patientissimis laboribus parcere omnium ferme ustionum, Italorumque praesertim et Anglorum, medicorum mutuo consensu statutum. Hinc prodiere monographicae observationes atque specimina Haefnerii, Bergamaschii, Brerae, Joannis Clarki, Heerii, Coplandi, Racchetti, Reydi, Abercrombysi, Tonelli, Junoris Pinelii aliorumque scriptorum quibus Clinica dives facta est argumentorum comprobantium phlogosim in columna et in vertebralum specu haud tam raram esse ut antea rebatur, et nuperrime denique haud tam lethalem, ut initio hujus etiam saeculi vulgo inter medicos putabatur.

Horum igitur ex praestantissimorum hominum laboribus luce clarius meridiana innotuit varias inflammationum sedes fuisse veras causas diversorum symptomatum, quae in rachiplogosi exurgunt, sive medullam scilicet reapse teneat inflammatio, sive pars continens eo specifico processu aegrotet unde stimulus, atque phlogisticus inde morbus exoritur. Sed et pro vario longitudinali spatio diversis formis primo primo rachiplogosim prodire compertum. Aphoniam hinc dysphagiam, totidem interdum esse symptomata processus phlogistici partis medullae spinalis, quae inter cervicales decurrit vertebras, Anatomica inspectio demonstravit, et, si Reydii observationes essent satis confirmatae, Tetani etiam ut plurimum et hydrophobiae conditio pathologica in hac medullae spinalis parte consedere credendum.

Hinc nemo sane miretur medicam artem talibus suffultam auxiliis adeo processisse ut si morbus dorsalem

proprie dictam occupaverit partem tunc dypsnoeam, singultus, dyspepsiam hypocondriorumque tensiones adesse, sin vero illam columnae vertebralis partem, cui nomen lumbaris adoriatur tunc urinae, excrementorumque retentiones, vario vis gradu extitisse Harlesio cooperante sit penitus demonstratum.

Ex constanti insuper observatione invictissime eruitur dolorem localem nunquam efferri ex attactu vel compressione spinae, nisi ossa vel ligamenta inflammatione teneantur, et tunc nedum attactu sed et calefactione partis recrudescere ut a Coplandio in lucem revocatum nostrisque recentissimis experimentis in horum juvenum praesentia confirmatum est.

Neque modo de symptomatibus, cuilibet Rachiphlogosis speciei communibus, sermo mihi instituendus cum tot hic sedeant praestantissimi artis medicae Doctores quibus paralyses vel tantum pareses plus minusve extensas, dolorem in dorso et calorem fixum diutinum a morbida spinae conditione repetere pervetustum est. Eo minus de causis sive externis sive internis instituendus est sermo cum illas compertas plane habeant ii qui medicam profitentur artem, seu medicae rei rudimentis imbuuntur. Operae tamen praetium ducimus ad alia gravissima properare quippe quae therapiam spectant summumque artis caput attingunt.

Optimi Collegae, Excellentissimi Patres, qui in Medicina omnia cognoscere non omnia vero probare nostis vos consulo an vera huc usque pronunciaverim, et artis profectus reapse enarraverim, sed et vestram indulgentiam peto, si vehementer fallor, dum audeo affirmare in gravissimis hujusmodi casibus a phlebotomia vel multiplici hirudinum secus spinam applicatione atque ab appositione tandem latissimi vesicantis malagmatis curationem expectandam esse, et dum e contra teneo parvi auxilii narcotica deprompta ex ipsa remediorum classe, stimulum subducentis nomine insignita; si denique

post nonnullas observationes prius quam cathedram ascenderim peractas, post nuperrimas una cum hisce praestantissimis juvenibus expensas, felici exitu confirmante, eos hortari coactus fuerim ne, cum semper tum modo nimium creduli, dictisque fidentes posthabitis tutioribus remediis, morbum, oculari experientia ooq confirmatis, explodare velint.

Virosa illa, repetere non dubitabo, morbum tantum sufflaminare, minime autem avertere aut destruere potuisse nostrae si aliquid valent observationes demonstrant; nostrae inquam optimi juvenes et ab alus praestantissimis hujus Collegii nostri Professoribus fortasse confirmatae. Vos interim tenete, firmiterque tenete quam ingressi estis observationum semitam; studere laborare, vigilare tanto altius in animum inducite, quanto magis vobis reique publicae necessarium novas ab arte medica, etsi plurimae adfuerint, utilitates obtinere, profectusque cognoscere, atque promovere.

Ut autem haec munera melius lubentiusque adimplere unusquisque vestrum valeat ad studiorum praemia rite adsequenda consurgite.

Accipite igitur jamdiu debita virtuti vestrae ornamenta, vobisque a sapientissimis hisce Patribus decreta honoris insigna atque mentibus vestris infixum semper inhaereat non ad insanam auri vel gloriolae sitim explendam, sed ad animi vestri aliorumque hominum utilitatem sapientiam vestram debere conferre. Hic fructus cum studiorum omnium uberrimus atque honestissimus, tum immarcescebilis vobis gloriae corona.

(1) Ecclesiastici Caput

ORATIO AD JUDICES
REGIAE ROTAE CRIMINALIS CRASSETI

PRO LAURENTIO DE MARIO MONTISREGALIS IN VESTINIS HOMICIDII CRIMINE IMPUTATO IN MORTE BLASII BESCINII EX OPPIDO SORANI IN HETRURIA DE QUA AGEBATUR DIE 16 NOVEMBRIS ANNI 1818.

Veritati siquidem, dum unice, et semper lito, perinde mihi erit sive propriis, sive alienis oculis illam perspexero,

JOHAN. BOHNII
De renunciatione Vulnerum.

Si quis vestrum forte miratur, Judices, me privatum hominem nec tantum vita, sed etiam studio et ingenio, a Forensi severitate, strepituque abhorrentem, in causis hodie, judiciisque publicis versari, is, si recte animadvertit, quin improbet quod facio, immo me id facere debuisse existimabit. In discrimine est caput, fama, fortuna cujusdam miserrimi, qui cum et bonorum testimonio, et reaspe sit apprime probus, abstinens, honestissimus, reus ante vestrum Tribunal crudelis, probrosique homicidii nec opinato peragitur. Hunc certe et sui ipsius innocentia, et vestra religio, et valentissimi egentium Patroni pietas strenue tutabantur; sed horum defensioni, quamvis modica, non aspernanda tamen fiet accessio, si medicae quoque discipli-

nae auctoritate fulciatur? Dicam verius. Hujus causae summa ab ea pendet disciplina, et inde sive ab accusatore, sive a patrono orationis suae potiora argumenta necessario petenda sunt. Quidni igitur medicus, qui a Praetore advocatus, et ingenua usus opera rem, ut erat, expendere, investigare, inspicere, cognoscere paenitus potuit, ipse per se, non tam misericordiâ ductus, quam factorum veritate commotus, pro servando homine innoxio momenta depromat, causamque dicat? — quod medicorum est promittunt medici; tractant fabrilia fabri. — Meam igitur, ut videtis, non alienam provinciam ingredior, dum ex intimis Physices penetralibus rationes congero, quibus contendo Laurentium De Mario etiamsi percusserit Blasium Bescinium, non ideo patrati homicidii reum putandum fore.

I. Ex facti narratione propositum exordiar. Pridie kal. Maii hujusce anni duo incolae municipii Sorani in ditione Senensi nempe Blasius Bescinius, et Vincentius C..... ob vinolentiam famosi versati fuerant in caupona per plures horas a meridie, ubi se vino de more ingurgitarant, quo impellente, — cum fas, atque nefas exiguo fine libidinum discernunt avidi — satis ferociter aggrediuntur conviciis, et dehinc crebris lapidibus Felicem De Mario sobrium virum nihil tale opinantem, et pro nescio qua re sua per viam incedentem. Dum cadit is, vulneratus in capite et brachio dextero, Laurentius De Mario ejus frater, qui caesurus postridie quasdam arbores petebat sylvam tria millia passuum procul ab oppido, casu ibi se offert securim gestans. Aspectu miserando fratris jacentis exardescit illico pius frater, nec mora, eumdem defensurus irrumpit in medio. Ecquis audet reprehendere? Nonne illas naturae leges improbaret ex natura ipsa acceptas; ut si vita nostra in manus inimicorum inciderit omnis honesta ratio sit expediendae salutis? Haec qua omnis homo imbutus est, illa eadem lex est, quae

unumquemque nostrum jubet animam ponere pro fratre filio aut patre nostro cum in vim aut insidias inimicorum aut summum aliud periculum inciderit. Cur reprehendendus pius iste frater, si amoris ardore motus est, cui vel cautissimi homines parent? Reprehenderem si aliter egisset. Dum alii clamant, alii, ut fit, accurrunt, alii sciscitantur, medio in tumultu capiti Blasii Bescinii iniqui aggressoris Felicis De Mario ictus infligitur; quidam, immo plerique dicunt a securi aversa Laurentii de Mario, aliter alii. Has vero res meas facere nolo; componere nec animus nec otium; ut ut ergo se habeant, vestrae sapientiae erit inquirere, Judices. Mihi ex animadversione perspicuum est, at non solum mihi sed et aliis bene multis, vulnus Blasio Bescinio a contundente simulque lacerante instrumento fuisse inflictum; quin tamen pescussio cerebrum commorit, aut perturbarit: constat enim (1) hominem minime corruisse, sed continuo furentem vesania, et ebrietate huc illuc discurrisse ad lapides colligendos, quos in fratres Felicem, et Laurentium De Mario proijceret, nec nisi coactum, jurgandi, et rixandi finem fecisse, et cauponam rursus ingressum. Tunc, cum vinum, et ira paululum deferbuissent, miratus sanguinem, qui capillos madefecerat, in proximae foeminae cujusdam domum se recepit, quo, post horam circiter elapsam (2) accersitus fuit Chirurgus.

Vulnus, ut in relatione describitur, utque cadaveris demonstravit inspectio, apparebat in laeva capillata capitis parte circa sincipitalem longitudinalis figurae, et per pollicem fere extensum partes molles ad os usque dividens, nulla ossis lesinoe. Relator-medens repetens facile vulneris hujus originem ab instrumento contundente pari facilitate curationem peregit, et ceratum super modicum linteaminis extensum vulneri apponens, sic aegrum dimisit, eo quod ea, quae in Bescinio evenerat aut penitus ignoravit, aut non bene rescivit.

Vir robustissimus, ut noster, florens aetate, iracundia, et ebrietate inflammatus, cum accessione vulnerati capitis non ita certe dimittendus erat.

Interim, duabus horis elapsis a vulnere, cordis succedit anxietas, copiosus ex ore vomitus, gravis inde somnus, immo sopor. Propriam tunc reducitur domum quo iterum Chirurgus accersitus omnia incipientis apoplexiae symptomata, juxta adstantium mentem, tribuens ebrietati expectandum censuit; quod quidem ex re non erat: abomni equidem arte aliena res est dilatio, verum maxime a medicina in qua dilatio est animae periculum (3). Deinde, hora noctis decima, aegrum revisens, renunciat se eum reperiisse — *con sintomi allarmantissimi* — atque ita se suo functum munere existimat. Sed quid? Vix dimidium ejusdem horae elapsum fuerat, vulneratus spumas flavescentes ore evomens extinguitur.

Postridie legithimis judicibus, peritisque Physicis objicitur demortui corpus, quod Blasii Bescini fuisse adfirmarant qui aderant testificatores adducti. Tribunalis igitur ministri inquirentes ex cadaveris inspectione, haec observarunt. 1° Nullum laesionis signum in externis partibus, excepto quod vulnus in capite sub cerato. 2° In ossea capitis parte, omni tegumento, et periostio denudata, nihil soluti, nihil fracti. 3° Dum anatomicus serra horizontaliter cranium dividens, sinistram interiorem ejus faciem vix penetrarat, aterrimus sanguis inde manavit. 4.° Secata ossa dum elevantur, omnes qui aderant perspicere potuerunt copiosum cruorem inter duram-matrem (4) et cranium umbellae fungi fere similem figurae, cujus superficiei diametrum quasi duo pollices aequabat, ejus vero centralis crassities pollicis quasi dimidium, atque subnigri coloris erat. Effusio haec et coagulum repertum fuit subter parietale, et temporale os sinistrum cranii internam faciem suturae coronalis ossis cum parietali, supra quam

vulnus protendebatur attingens. Atque hic animadvertatis oportet, quod cum sanguinis effusiones intra cranium vulnere peremptorum inveniantur, hae non sub vulnere, sed opposita parte vulneris generatim appareant (5). 5° Aspectus durae-matris repraesentabat puncula sanguine turgida, et vascula, praesertim venosa; disrupta cum sanguinis particula adhaerente. 6° Nihil aliud rupti, aut morbosi in illa, vel in aliis membranis cerebri; nihil laesi in corticali, aut medullari substantia tam cerebri, quam cerebelli. 7° Ex Thoracis, et abdominis inspectione non morbus, sed salus videbatur mortem praecessisse. Haec historia facti, et reperti, ut ex cadaveris inspectione, at ex eorum qui factis adfuerant testimonio (6).

Porro haec omnia mecum ipse animo reputans video, et quis non videt? mortem immediate oboriam esse ab effusi sanguinis pressione in cerebro, et sanguinis effusionem a vasorum durae-matris ruptura. Nunc autem ut vera causa occasionalis mortis non lateat; investigemus oportet diligentia, equanimitate, et casti ratiocinii ope, versa itidem causas rupturae vasculorum in membrana illa cerebri, sive intra cranium Blasii Bescinii.

II. Compertum est Physicis omnibus vas quodcumque cum rumpitur interna de causa (de externa enim immediate agente non est adhuc dicendi locus) id in ipso evenire, eo quod Beri non possit ut resistat contra impetum fluidorum quae continet, et, si hoc intra cranium eveniat, apoplexiam quam vocant accidentalem parere; illam videlicet, quam Periti reperiebant in homine de quo hic agitur.

Sanguinis igitur impetus in cerebro Blasii Bescinii, et ideo vasorum ruptura intra hujus viri cranium, si solam, et necessariam causam repetat ab ictu et vulnere; si huc impetum, et effusionem nec sibi Blasius Bescinius comparavit, aut huic ansam dedit opere vel

neglectu; si denique medens nec previdere potuerat eam, nec avertere aut removere: sauciator illius, quicumque sit, interfector omnino censendus erit; at si e contra, ut nunc probo, immerito homicidii crimine infamis fiet.

Quod ut planius innotescat, ex statu vulnerati praecedente vulnus (7), primum quaeso periculi rationem accipite, memoria revocando qualis fuerit eo momento Blasius Bescinius, quodque venenum (7) sibi antea paraverit, dehinc quale vulnus eidem inflictum animo perpendite. Erat ipse temulentus, atque ita temulentus, ut nec se vulneratum sentiret: rixatos fuerat tanto impetu, et rabie, ut inde mixtam cibo meroque bilem abundanter evomuerit, quae inter causas ascensionis, et stagnationis sanguinis in cerebro nec leves sunt, nec contemnendae. Nam; ut frequentissima exempla praeteream nonnullorum, qui dum ad mensam sederent subita apoplexia correpti fuerunt, ingurgitatione provocante, si capitis vulnera inter ejusdem apoplexiae causas a practicis Medicis aliquando recensentur; non minus hi inter illas enumerant ebrietatem, intemperantiam, iracundiam, et alia violenta animi pathemata (7), quae omnia extiterant absque dubio in Blasio Bescinio, et ante, et post vulnus. — Flagrantes ira, et eam comprescere coactos (inquit clarissimus Tissotius, quasi factum Bescinii nostri narraret) ant graves tristitiam servantes in pectore, videmus quotidie, quod nemo mortalium adhuc intelligere potuit, apoplexia correptos.... et medicinae codices referti sunt observationum, quae manifeste nobis ostendunt iracundiae saepissime apoplexiam succedere — (8). Cum vero non solum intemperantiae sit et iracundiae in hominibus apoplexiae viam patefacere, sed et sola ebrietas, quae persaepe hunc morbum simulat, per apoplexiam suum cursum absolvat aliquando (8): quum haec simul agere satis et amplius potuerint in Bescinio, an opus fuerat vulneris, ut sanguis impetum faceret in cerebro?

Hae itaque si verae et frequentiores sunt causae, quod a sanguine impetus fiat in cerebro; non solum esse possunt, sed revera sunt causae distensionis et rupturae vasculorum sanguiferorum intra cranium, ideoque pro aetate, corporis habitu, vel alia de re magis, minusve mortis etiam. Quidni igitur dicamus, quod cum hae fuissent in homine isto apoplexiae causae principes, mortem quoque eidem primario intulerint? Ratio compellit, et urget.

De vulneris autem vi si ab ejus natura, et ab illis quae immediate subsecuta sunt illico post ictum judicium ferendum esset, causam fuisse mortis vulnus ipsum dici non posset, cum Blasius Bescinius non solum in cerebro nullam passus sit commotionem, sed in jurgio, et rixa perseveravit, et per horam et amplius ut homo inoffensae valetudinis se habuerit. Nec obstat quod a Physicis nonnullis dicitur, sanguinis effusiones videlicet paulatim in cavitatibus corporis augeri posse, nec signa diagnostica statim praebere, ob conatus vitalium partium, causis omnibus destructioni intendentibus resistentium, et sic homines, dum videntur bene valere, morbo mortique appropinquari: hoc enim non probaret quod ex vulnere, potius quam ex interna causa sanguinis impetus factus sit in cerebro; sed cerebri commotionem per ictum non evenisse nobis liquidum est, et satis est ad rejiciendam percussionis violentiam vulnerisque lethalem naturam. Neque obstat, quod Fiscus maxime facit, relationem nempe Chirurgi deponentis vulnus fuisse lethiferum: nam ipsemet Chirurgus in vulnere curando demonstravit abunde vix illud periculosum credidisse, immo argrum ab omni periculo tutum existimasse videtur, aut vulnus illud salutare judicasse: ita enim se gessit, ut inde manifeste appareat aut ipsum paulo ante mortem Blasii Bescinii relatioem confecisse, ut reor, aut in sua relatione falsum pronunciasse, quod credere nollem.

Ex ossibus item cranii integris omnino repertis, et ex modica partium mollium *solutione* vulnus neque repetito, neque violento ictu patuit inflictum; quidquid a nonnullis dici possit, ossium integritatem non valere, ut *qualitas* vulneris possit inde *simplex* pronunciari; et *quantitas*, ex modica *solutione continuitatis*, minor quam solet esse in lethalibus; eo quod ossa cesserint vi contundentis instrumenti, et sic vasa interna *meningea* disrupta fuisse, atque ob id sanguinem effusum intra cranium. Sed istos animadvertere volo vulneris *qualitatem*, et *quantitatem* satis superque sufficere ad demonstrandum vulnus non repetito ictu acceptum fuisse. Ossa vero cranii non cessisse cognoscent et ex supra dictis, et ex anatomica consideratione cadaveris Blasii Besinii, nec non ex natura ipsius coronalis ossis et parietalis, eo praecipue loco, quo per *suturam* junguntur, supra quam vulnus inflictum fuerat, ut recte anatomicorum revocans observationem monuit Joannes Pallinus (12). Nullus ergo Physicorum existimabit laesionem hanc, etiam si capitis vulnera lethalia aliquando fiant post longum temporis, in hoc homine per se potuisse producere, quae aliis de causis apparuere gravissima *symptomata*, et eo minus mortem. Merito igitur concludendum est vulnus nec solam, nec principem causam fuisse sanguinis impetus, aut illius effusionis; sed unam tantum ex causis, ad impetum, cum jam caeterae, quae a nobis enumeratae sunt, in Blasio Besinio priusquam sauciaretur extiterint, et per vinum post vulnus rursus ingestum aemosiores factae fuerint.

III. Cum impetus itaque, et redundatio sanguinis intra cranium in nostro homine ex recensitis causis derivarit, non omissa, si ita libet, illa vulneris, crederet forsan aliquis effusionem illam, et ideo mortem inde necessario obortam. Nostrae tamen aetatis, et anteacti aevi experientia contrarium frequentissime ita ostendit, ut Medici ea edocti, inter *Apoplexias, san-*

guineam hanc curatu faciliorem dicant. Morbus autem omnis, at externa corpori inflicta violentia, quae causa necessaria mortis habetur, cum ideo dicatur *necessaria* eo quod et ipsius naturae conatus irritos reddat, et omnia artis remedia superet; ex *eo* fit quod Blasii Bescinii mors non solum ex vulnere orta minime dicenda sit; sed neque ex vulnere neque ex ebrietate, neque ex ira, neque ex ipsa intra cranium sanguinis effusione, etiam si haec omnia simul a nobis existimentur. Ut enim haec irreparabiliter lethalia, et mortem inde necessario derivatam quis pronunciaret, oportebat antea omnia artis salutaris, manusque auxilia, fideliter, solerter, prompteque adhibuisset. Blasius vero Bescinius statim a vulnere nullum pro se inivit consilium, dum per horam versatus fuit domi mulieris, qua se receperat, et tunc in se negligentiae peccatum habuit, ut antea actionis habuerat in semetipsum. Hora elapsa, nulla eidem adhibita est medela, quamvis magnus, et vere divinus ille Senex praecipiat — nullum capitis vulnus etiam si leve contemnendum esse (13), — et item praecipiant universi artis Magistri, sectionem venae larga manu celebrandam; nec semel aut iterum, verum saepe saepius in hujusmodi vulneribus, atque id aut ex brachiis, aut ex pedibus, aut ex ipsis jugularibus venis, ne dicam ex temporalibus arteriis, cum nonnullis, ut descrescat longeque a capite revocetur fluidus ille humor, qui praessionem cerebri, vasorumque rupturam continuo minitatur (14). Haec, summum per fatum, inter adsidentium muliercularum ploratos, et ululatus, e memoria exciderunt Chirurgis ad medendum accersiti, et item immemor ob id factus est ebrietatem et jurgia, ob effectus quos pariunt cum semper, tum praecipue in his casibus nullo modo contemnendas esse. Oblitus post venaesectionem, si facta fuisset, purgantium, aut enematum usus magni esse adjumenti; oblitus in sopore et lethargo, quae jam aegrotum op-

praeserant circa nonam noctis horam, propter corpora cerebrum comprimentia, totam esse medelam in vasorum inanitione: oblitus denique cranium terebrare, quod ars docet faciendum, quotiescumque suspicio esse possit de vasorum intra cranium ruptura, mortemque ob id ostium pulsare.

Tanti est in his casibus, Judices capitis terebratio, ut aliquando pluries repetenda sit donec sanguis effusus evacuetur. Auctores enim Medicinae-Forensis affirmant, mortem ob sanguinis effusionem intra cranium vulnere peremptorium, cum haec terebratio omissa sit, injustum esse vulneratori tribuere (15). Si haec prae oculis habuisset, vel habere potuisset Chirurgus noster, non cunctando, sed celeriter omnem vim artis in propulsando periculo congregasset, ne veram in se ostendisset Hippocratis illam sententiam cum de capitis vulneribus loquitur — Si non singula haec diligenter Medicus curaverit, saepe mortis causa existit —.

Molestum est mihi, judices, ista dissimulare non potuisse, sed ut videtis aliter tueri non poteram Patrisfamilias caput, fortunasque, nisi nudam detegendo veritatem, ut feci. Si Chirurgus homo, contra quem dicere innocentiae discrimen, nudaque veritas me compellit, adfuisset Perilimi triduo postquam quae supra memoravimus acta sunt, et ipse in meam sententiam descenderet. — En Casus.

Franciscus Portulani agricola, jam miles inter Germanorum copias, proh dolor Italiae! viribus praevalidus vir, triginta quinque annos natus, ante meridiem, peracto jentaculo, in majoris Ecclesiae forum venerat caetera cum plebe. Ibi ob quamdam arborem, loci de more erigendam pro mense Majo, quaestionem habuit cum nescio quo, et in rixando percussus fuit tigilli ictu in dextera parte capitis. Inflictum vulnus apparuit omnino simile vulneri Blasii Bescinii, cui insuper accessit non modica cerebri commotio, nam illico

ante pedes adversarii revolutus corruit. Relevatus ab amicis sistitur Chirurgo, qui jubens sauciatum proximiorem domum ingredi, nil cunctatus, curationi manus admovet. Audiens aegrotum capitis gravedine premi, venam in utroque brachio adaperit, vestes relaxat, vulnus tergit, defenditque, et itidem modo enemata, post ea purgantia illi praebens, non omissis caeteris artis auxiliis, quae brevitatis gratia praetereo, ita morbum relevat; ut ante decimumquintum diem, ab homine jam integro effectu potuerit discedere (16). Dum ita se peregerit Chirurgus, in casu, si mors ultimum morbi fuisset, necessitate, non negligentia amissum virum haberemus.

Vos interim, Judices, quibus perspicuum est, multarum rerum naturalium operationes eum promovere, aut suspendere penes homines sit, quidquid ab hisce commodi, vel dampi datum sit, istis imputandum, quantum eorumdem opera vel neglectus ad id momenti attulit (17), ex dictis colligetis. 1. quid Blasius Bescinius in extremo fato imputari sibi debuerit, 2. quid vulneri, 3. quid negligentiae tribuendum.

Quantum in me fuit demonstrare conatus sum. I. Ex ipsa historia facti, actus rei Laurentii De Marin, vulnerationem praecedentes Blasii Bescinii, omni dolo caruisse. II. Blasium Bescinium, eo ipso quo vulneratus fuit, habuisse in se causas sufficientes ut sanguis impetum faceret in cerebro, et ideo apoplexiae et mortis. III. Mortem necessario derivatam non esse neque a caeteris causis, quae tunc aderant: ideoque reum juxta legem Aquiliam, que nostris consonat legibus, etiam si percusserit, vulneratorem non homicidam censendum esse (18).

Si vero circa magnitudinem poenae liceret mihi verba proferre, cum illud in primis observandum sit, ut illae tantae sint, quantae sufficiant ad reprimendam libidinem mortalium, qua feruntur in peccata (19); prom-

ptam ego uxori miserrimae rei, et duabus claudis mutilatisque filiis nunc consolationem afferrem, ex quo vobis satis liquet neque per lubidinem peccandi, neque per habitum rixandi, neque demum per malitiam, aut inimicitiam virum, et Parentem eorum in vulnerationis crimine esse adductum: sed tantummodo ad necessariam defensionem fratris non occursum, sed promptum inventum: non hostem aegressum, sed ipsum aggredientem percussisse. Hanc ob eamdem causam, hominem effectum Brotum suum, si absolvendum omnino pronunciabat clarissimus ille Romanae curiae decor (20): quid dicendum de Laurentio nostro, qui quamvis minime Blasii Bescinii interfector sit, et in viam justitiae jam senuerit, dum eidem peccatum appenditur (21) teterrimo adhuc clauso carcere, inter scelerosos hodie computatur?

Quapropter finem dicendi faciens, meo quo melius potui modo functus munere, oro, obtestorque vos, judices, in sententia ferenda prae oculis habere miserrimum advenam, probatum virum, sed egentem idiotamque, in oppido Sorani multis ab hinc annis honestissime commoratum, assiduo labore sibi familiaeque consulentem, omnium amicorum, et consanguineorom ope destitutum, Vestrae virtuti, justitiae, fidei omnino concreditum esse, ut sicut in vobis scelera perniciem meritam, sic innocentia meritum perfugium inveniat.

DICEBAM.

(1) Ex communi omnium et uniuscujusque testimonio, ut in Processu contra Laurentium De Mario ad deponendum adhibitorum

(2) Blasius Bescinius vulneratus fuerat hora quasi quincta a meridie.

(3) Hippocratis epist. ad Cratevam

(4) Membrana illa cerebri immediate sub cranio sita.

(5) Vid Boyer Trattato delle malattie chirurgiche, e delle operazioni che ad esse convengono Tom. V. Tradotte.

(6) Vide per totum process. contra Laurentium Mario redactum in Tribunali Petiliani anno 1818

(7) Quanti faciendum morbosum corporis apperatum non solum in mediocribus, sed etiam in minimis vulneribus, vide inter caeteros Zacchia. Medicina Legalis Lib. V, Tit. 1. Quaest. 2 et 3

(8) Vinum ingreditur blande, In novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Parabol Salom 13

(9) Sauvages. Nosologiae Methodicae Tom. I Classis VI Ord. V. Ju Surserius Institut: Medic. Tom V §. 77. et sequentibus

(10) Dell'Apoplessia, Idropisia, e Colica saturnina. Tomo unico §. 14 e 56.

(11) Barzellotti. Medicina Legale secondo lo spirito delle Leggi veglianti nei Governi d'Italia Tom. I pag. 282. edizione prima.

(12) Quando si porrà mente alquanto a questa struttura, delle sutura cioè che unisce l'osso parietale della testa col coronale, non si tarderà molto ad intendere, che ella è propriamma a render le sue suture più sode, e singolarmente ad impedire la depressione delle ossa.

Palfino Anatomia chirurgica corretta, ed accresciuta da Petit Tom 2. pag. 77.

(13) Hippocrat. de capitis vulneribus.

(14) Boerhaave Aphor. 207 180. et a 1026. ad 1030. Van-Swieten. in ejusd commen: et secum Practici omnes.

(15) Van swirten. loc. cit. §. 286. Teychmeyer Forensis cap. 23. - Mahon. Medic. legal. Art delle ferite in generale - Barzellotti. Medicina legale secondo lo Spirito delle leggi civili e penali veglianti nei Governi d'Italia T. II. § 415., e 466 edizione prima.

(16) Ex processu in Dominicum Mengeni. Unum ex millibus selectum exemplum, e nonperrimis observatis.

(17) Puffendorf. De Offic. hominis et civ. Lib. 1. cap. 1

(18) Institut. Imperial. Lib. IV. Tit. III. de Lege Aquilia, Franc. Accursii gloss.

(19) Puffendorf loc. cit Lib. II. cap. 13.

(20) Farinac. Scpon. Crimi Consil 2. n. 6.

(21) Dans les Monarchies, ou l'on est gouverné par l'honneur .. la disgrace y est un equivalent a la peine; les formalités même des jugements y sont des punitions. C'est la que la honte vient de toutes cotés pour former des genres particuliers de peine.

Montesquieu. Espr. des Lois L. 6 c. 21.

Cl. Auctoris Operis cui titulus Medicina legale secondo lo spirito delle leggi Civili e Penali veglianti nei Governi d' Italia *in hac causa sententia.*

Perlecto commentario hoc Medico-Forense Auctoris judicio; si quid forte meum addere potest, rite de vulnerato, non de occiso ferendum censeo.

Pisis Idibus Julii 1818.

JACOBUS BARZELLOTTI.

In Academia Pisana Pub. Prof.

Peritorum Fiscalium Pisarum de re, et oratione Judicium.

Orationem hanc Medico-Legalem pro Laurentio De Mario maxima sane animi voluptate, attente, libentissimeque perlegi: immo plane perlegenti mihi multa occurrerunt, quae in Medico-Legali doctrina peritissimum undecumque Auctorem ostendunt; quapropter secum omnino convenio. Utinam! Medici omnes Forenses, Tribunalibus addicti sibi sumant exemplum.

Pisis X. Kal. Augusti 1818.

Masi

Philos. Med. Doct. in Pisano Nosoc. Decanus nec non in Regio Tribunali Peritus Fiscalis.

JOACHIM FEDELI.

In Regio Tribunali Peritus Fiscalis.